Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ferme menses corpus eius furatum est quod in Martiniaco monasterio condidit. ibique tunica cucullo et pallio et toto corpore quasi adhuc viveret integro flagrante tamque odoribus ut delibutum unguentis putaretur. Non tamen videtur in fine libri tacenda constantie sanctissime femine illius devotio. que prelato ad se nuntio quod corpus eius Hylarionis Palestine esset statim exanimata est. veram in servum Dei dilectionem morte quoque comprobans. Erat enim solita pervigilias in sepulchro eius noctes ducere. et quasi cum presente ad adiuvandas orationes suas sermocinari. Cernas usque hodie miram inter Palestinos et Cyprios contentionem. his corpus Hylarionis. illis spiritum se habere certantibus. et tamen utrumque magna cotidie signa fiunt. sed magis in hortulo Cypri forsitan quia illum locum plus dilexerat.

Incipit prologus in vita sancti Severi episcopi et confessoris

QUONIAM PRISCORUM virorum gesta fortium ac laudabilium patrum in ecclesiis recitantur. qui desiderio celestium flagrantes posteris infirmioribus proximis planiorem viam filii Dei reliquerunt. ob id procul dubio actitari creditur. quatenus ille divini amoris ignis. qui cotidie habundante iniquitate in sanctis viris flatu quodam aquilonis frigescere solet. tamen quasi austri gratissimo spiramine reaccendatur. Unde ecclesia in canticis. Surge inquit aquilo. et veni auster. Hinc est quod nos pene idiote atque inertes pretiosissimi lilii Christi SEVERI archipresulis vitam. ordinationem. nec non et obitum sanctissimum qualicumque stilo publicare gestientes simpliciter ea que de tanto viro ad nostre parvitatis noticiam pervenire potuerunt auribus fidelium intimare proposuimus. plus presentes querentes illorum edificationi ac saluti. quam curiosorum pompatice urbanitati. Qui enim iuxta Salomonem sophistice loquitur. odibilis invenitur. quia et semetipsum iactantie spiculo percutit. et tamen auditorum infirmitati non consulit. Sed quia rei geste fidei anchoram annectere opus est. more historiographi solito tria in fronte narrationis ponimus. quibus ad exercendum opus congrue utendum est. idem personam. patriam. atque conditionem. Nam ut de persona eius vera paucis perstringamus. non sine divino quodam auspicio. SEVERUS est a parentibus vocitatus. Non enim si perpensius ethymologiam inspicere volumus. severitatem sonat. sed potius virilem gravitatem. de qua in psalmo canitur. In populo gravi laudabo te. Qui profecto firmus erat et vitiorum exstirpator. et virtutum avidissimus cortasor. Patria vero eius satis in promptu omnibus habetur. quia civis Ravennas extitit. et sicut de beato papa Gregorio dictum est. unde genus duxit. summum conscendit honorem. Cuius autem conditionis fuit. sanctissime vite eius summa comprobat. qui vere christianus erat et columbinam vitam in simplicitate cordis sui ducebat. Pauperem quidem vitam gessit cum Tobya. tamen qui Dei presentiam timuit. et bene omnia fecit. omnia bona possedit. quia karitatem que Deus est omnimodis habuit. Quantum enim ad seculi luxum pertinet. pauperem vitam duxit. quia ut a fidelibus relatoribus fertur. una cum coniuge quam sibi filiationis non voluptatis gratia iam dudum copulabat. non nisi lanificii opere sumptus quotidianos carpebat. Nam utpote religiosus et orthodoxus christianus. de manibus suis cum apostolo vivebat. nullique fraudem vel vim hominum inferebat. Neque etenim surda aure preteriit psalmista intonante. Labores manuum tuarum quia manducabis. beatus es et bene tibi erit. In quo loco si quis periculosius erugine invidie et insulsa obiectione beato viro detrahat. quod uxoratus ad archisterium Ravenne accessit. audiat apostolum pro illo respondentem. quia omnia munda mundis. Sicut ergo ciborum edulio non polluitur homo. nisi insidiatrix concupiscentia precedat. sic quippe legali conubio non inquinatur christianus. qui se nullatenus vel virginitatis vel continentie voto constrinxit. nisi illum prius corrumpat obsceno libido amore deceptrix. Ceterum si quis vovit. reddere cogatur. quia scriptum est. Vovete et reddite. Sed quia tantisper passertione virtutis quasi per excessum duximus. ad incepta redeamus.

Incipit vita sancti Severi episcopi

IGITUR Postquam preeminentissimus athleta Christi Apollinaris ab apostolorum principe Petro ordinatus est pontifex ad predicandum ibi verbum domini. et claves regni celorum ydoneus et per omnia probatissimus vicarius accepit. Ravennam mox nobilissimam Italie civitatem et multarum metropolim urbium. ac si secundam Romam sibi in apostolatum ascivit. Hanc siquidem urbem meritis precipuis eidem sui triumphatoris beati Apollinaris. adeo clemens et misericors Deus preceptis decusando insignivit. ut exquo ille miles felix laureatus corona martyrii. introivit in gaudium domini dei sui. instar duodecim apostolorum apices. XII. illi successores. per varia annorum curricula suppleret. non humana electos industria. sed potius divina vocatos providentia. et super quorum capita celitus missa requievit columba. Unde et hoc venerabile proverbium iam dudum vulgatum est. per universum orbis circulum. Beata inquit civitas illa. ubi in electione pontificis spiritus sanctus descendit in columbe similitudine. et ordinatus ille super cuius caput requiescit. Sed o mutatio temporis. et o nefas negociationis. Redemptor itaque noster ut ostenderet fidelibus suis quam sit dampnabile officium negotiationis. ingressus in templum omnes vendentes et ementes in illo vehemens eiecit. Et facto de resticulis flagello. omnes qui potissimum columbas vendebant de templo eliminavit. Antiquus autem humani generis inimicus. qui iam iuxta apostolum misterium operatur iniquitatis in membris suis. quique sedet cum divitibus in occultis. ut interficiat innocentem. iterum cum Symone suo venalem facit columbam. nec desinit per suos cumulare mammona iniquitatis. quo eos valeat profundius mergere in puteum perditionis. Ecce nemo modo usquequam episcopus eligitur. qui non ecclesiis premittitur. sed quod peius est. et detrimentum adulterii spes adhuc vivente alicuius civitatis episcopo. ab aliquo indocto et depravato iam concupiscit episcopatus eius. petitur. sacramento spes solidatur. promittitur persona